

detestabatur, h. e. simulabat se legem Mosaicam quasi adhuc obligantem observare, cum revera id non intenderet, utpote quam probe sciret abolitam, sed solum intendebat, se moribus Judæorum conversorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet. Qvi lapsus Petri eo gravior erat, quod plures alios in hypocrisicos illius societatem exemplo suo pessimo pertraxerat. *Nam simulabant cum eo & reliqui Judæi.* Per reliquos Judæos intelligo non illos, qui a Jacobo venerant, sed qui in Antiochena Ecclesia prius fuerant, & viderant, Petrum Ethnico more vivere, h. e. cum Gentibus conversis promiscuos cibos sumere & familiariter versari. Hi itaque facto Petri in eam persuasionem conjecti, ac si non liceat cum non circumcisis Christianis cibum capere eum præfertim, qui lege Mosis erat interdictus, *συνυπακρίτησαν αὐτῷ* hypocritice agebant cum ipso, h. e. simulabant una cum Petro, se nullam cum gentibus familiaritatem colere, nullum cibum capere, seqve non minus gentilium consortium fugere & averfari, quam facerent, qui a Jacobo venerant Judæi, ut his eodem modo gratificarentur & offensionem vitarent.

§. X. Nec substitit hic malum, sed & ipsum Barnabam corripuit, sic enim textus; *ὡς καὶ Βαρνάβαν συναπήχθη αὐτῶν τῆ ὑποκρίσει, adeo, ut & Barnabas simul adduceretur in illorum simulationem.* Barnabas hic non est ille, qui Actor. I. 23. cum Matthia in electione conjungitur, sed qui Actor. IV. 36. Joses Levites dicitur, Cyprius genere, ab Apostolis autem Barnabas cognominatus est, *vir bonus & plenus Spiritu S. & fide* Actor. XI. 24. qui alias in praxi Christianæ libertatis erat exercitatissimus, Apostoli Pauli socius, & individuus comes. Nam & hic illorum exemplo, maxime Petri ductus, licet satis sciret, delectum ciborum & cætera legalia ad salutem nihil facere, nec requiri, discrimenque Gentilium & Judæorum in regno Christi sublatum esse, in eandem tamen cum illis simulationem abripiebatur, h. e. ita se gerebat, ac si cibos cum Judæis discerneret & Gentium conversationem abhorreret, &c. *συναπαύρομαι* est una abductor, simul abripior; Hesy chius exponit per *συνπαρορεύομαι συνέρχομαι* simul gradior, proficiscor, ut illi faciunt,